

canos. Cum vero e Carnis nuncii venissent, omnes eo ab latere hostium regiones in armis esse, cogique milites ple-
risque in locis: Forojulienfes ad Senatum miserunt, vel-
le civitatem sua stipe equites ducentos alere: rogare Sena-
tum, ut Epirotas alteros totidem iis adjungat, quibus se
suosque fines tueantur: velle omnes magno animo suam
fidem omni cum vitæ periculo Patribus & reipublicæ præ-
stare. atque ita ut fieret, Senatus censuit. Etiam in Illy-
rico apud Spalathram incursiones & prædæ factæ, abducti-
que pueri & mulieres haud parvo numero. Vicetini de-
stituti ab exercitu, qui se ad Medoacum receperat, cum
suis rebus vulgo ad urbem confugiebant: a quibus cum
publicani vini portorium exigent, lata rogatio est, ut
sine portorio rerum alendi se causa importandarum Vice-
tini reciperentur. Pauloque post domus nova Germano-
rum mercatorum societati publice exædificata, quam inha-
bitarent, eis tradita. Gallorum duces ad Marcum Mar-
cellum Monsilicensium magistratum miserunt, qui oppi-
dum peterent. Ea intellecta re Grittus legatus cum equi-
tibus levissimis Monsilice contendit: firmatoque præsidii
oppido, præter eos qui ex plebe urbana tum venerant,
sua in castra rediit. Citolumque Perusinum cum militi-
bus octingentis Senatu approbante Taurisum misit, qui
optime meritæ civitati præsidio esset: eo enim etiam ab
latere hostes impetum facturos rumor attulerat.

*Germano-
rum nova
domus ædi-
ficatur.*

Interim missus Lemniacum Baptista Doctus, vir fortis,
cum stipe, ne, si oppidum obsideretur, pecunia defenso-
ribus introclusis persolvenda deficeret, ab hostibus in iti-
nere deprehensus vix ægreque fuga se ab illis eripuit, in-
fectaque re cum numis ad legatos rediit. Post hæc cum
Julius Pontifex Maximus Franciscum Gonzagam Man-
tuanorum principem, captivum Senatui commendavisset:
Patres in ejus gratiam legem sciverunt, ut si uxor Ludo-
vicum filium Bononiam misisset, Franciscus & libertati
restitueretur, & reipublicæ exercitibus præficeretur, im-
peratorque crearetur, modo Julius puerum ad urbem post-
ea mitteret: quod quidem se receperat facturum. Vice-
tini,